

æquatoris à dictis eclipticæ capitibus sumens exordium, atq; in contactu horizon-
tis occidui pariformiter finiens. Ascensionem igitur rectam gradus eclipticæ uel
stellæ cuiuscunq; hoc pacto numerabis, gradum eclipticæ, uel locum stellæ tuæ pro-
positæ sub armillam meridianam colloca, & globo ita stante, aduerte quem æquato-
ris gradum eadem armilla tetigerit, quia hic erit gradus ascensionis rectæ, arcum à
dictis Arietis uidelicet aut Capricorni capitibus computandum definiens, quem
quærebas, uel etiam statue sphaeram rectam, & inuenies eam in horizonte recto.

Si autem ascensionem rectam planetæ habentis latitudinem capis, ita proce-
de: Nota in primis diligenter locum eius longitudinis in ecliptica, deinde accipe
mediante circino intercapedinem graduū latitudinis eius in gradibus Zodiaci uel
æquatoris, & eandem intercapedinem circini inuariatam custodi, ponendo pedem
unum circini fixum in gradum longitudinis planetæ in ecliptica, reliquum mobilem
uersus polum Zodiaci porrigendo, nam si latitudo planetæ fuerit Borealis, porri-
gendus erit uersus eundem polum Zodiaci Borealem, si autem Australis fuerit lati-
tudo, uersus austrum. Hoc tamen summe obseruandum uenit, ne pes circini mobi-
lis alio locetur quam ad circulum magnum per gradum longitudinis planetæ & po-
los Zodiaci transeuntem, & ubi pes circini mobilis sub eodem circulo magno ita
porrectus quieuerit, fac notam, nam ibi est locus uerus planetæ in longitudine & la-
titudine, deinde quære ascensionem rectam huius notæ, & habebis ascensionem re-
ctam planetæ.

Ascensione recta proposita, arcum eclipticæ eidem
debitum prompte experiri.

CAPVT XX:

Pone finalem tuæ ascensionis rectæ gradum subtus armillam meridia-
nam, uel ad contactum horizonis recti, & uidebis ibidem punctum
eclipticæ determinans arcum eclipticæ eidem debitum à principio A-
rietis inchoandum. Exemplum facilitas operationis non exigit.

Ascensionem uel descensionem obliquam cuiuscunq; gradus
eclipticæ, uel planetæ aut stellæ cuiusuis inuenire.

CAPVT XXI.

Globo ad eleuationem poli tuæ regionis instructo, erit eadem operatio
sicut capite præcedente 19 ascensionum rectarum. Hoc solo uariato,
quòd ascensiones obliquæ in circulo horizontali ex parte orientis ac-
cipiantur eadem uia, sicuti superius in circulo meridiano ascensionis re-
ctæ computatæ sunt. Pari ratione descensiones obliquæ numerabun-
tur in parte circuli horizonis occidentalis, ubi nec ulla alia est diuersitas. Exemplum
breue accipe: Volo ascensionem obliquam 10 gradus Libræ, in regione cui polus
Arcticus 49½ gradus extollitur, pono ergo hunc 10 Libræ gradum ad contactum
horizonis ex parte orientis, eleuato prius globo iuxta regionis latitudinem scilicet
49½ gradus, & inuenio ibidem in contactu horizonis gradus æquatoris 194 ferè,
ascensionem uidelicet obliquam, quam hucusq; quærebam.